

XIV

multum se debere testatur. Excell. PLATNERVM non modo metaphysicam et logicam, sed etiam materiam medicam et medicinam forensam proponentem audiuit. Excell. HAASIVS ei omnem anatomicam et physiologiam, Excell. GEHLERVS eandem et botanicam, nec non artem obstetriciam exposuerunt. Excell. KRAVSIVM adiit, cum ille pathologiam, osteologiam, therapiam, chirurgiam, clinicam, doctrinam de inflammationibus et morbis grauidarum ac puerperarum doceret. Excell. BOSIO non solum accuratiorem anatomes et physiologiae notitiam debet, sed etiam eo duce artem corporis humani scite secandi didicit, eiusdemque ex institutione medicinam legalem plenius percepit. Magnifico PLAZIO, Decano Ordinis nostri spectatissimo, in acceptis refert historiam medicinae, et vtilissima ad morbos cognoscendos curandosque praecepta. Denique meis quoque praelectionibus anatomicis ac pathologicis interfuit, suamque assiduitatem et proficiendi studium mihi probauit. His igitur praeceptis et institutis vsus, prima doctrinae suae specimina Collegio nostro edidit, die vigesimo quarto Ianuarii huius anni ad examen pro Baccalaureatu admissus, in quo cum nostris quaestionibus satisfecisset, honorum nostrorum primitias tulit. Hinc superiori mense consuetas pro Licentia lectiones habuit, in quibus de *carie ossium* differuit. Die trigesimo eiusdem mensis alterum, quod vulgo rigorosum dicunt, examen sustinuit, atque profectus suos in eo nobis ita probauit, vt supremis in arte nostra honoribus merito condecorandus censeretur. Ad quos quidem rite capeffendos futuro die XIX. huius mensis, conscriptam a se dissertationem inauguralem *de vesicatoriis recte usurpandis*, Praefide Excell. BOSIO, Collega coniunctissimo,

mo,